

Fine carens, cœlestibus  
.....  
Explicare mortalium  
Licut clamet concentibus

Laude quavis nec refero  
Cunctis claret confinia  
Servet herus ab omnibus  
Truso hostis acumine

Robustum per suffragium  
Cœlestis sceptri gremium.  
Perfruaris angelicum  
Vitam deges cespitibus.

## SANCTI ALDHELMI

SCHIREBURNENSIS EPISCOPI

### DIPLOMATA QUÆDAM,

SIVE

### EJUS OPERUM PARS QUARTA.

I.

*Excerptum ex libro Antiquitatum Meldunensis  
cœnobii, ad verbum transcriptum.*

[Citat W. Dugdale in Monast. Ang. e Lelandi Collectaneis ms. in Bibliotheca Bodleiana, vol. III, p. 286.]

Meldulphus vitam eremeticam ducens, sub castello de Bladow, quod Saxonice dicitur Ingelborne Castell; fuit autem constructum a quodam rege Britannio, nomine Dunwallo Molvicius. Civitas quondam ibi fuerat, quæ penitus destructa fuit ab alienigenis; Castellum se munitione custodivit, quod per multum tempus stetit sine habitatione propinqua. Regia enim habitatio, et ejus manerium tam pagorum, quam Christianorum, non longe fuit a castello apud Kairdurberg, quod Saxonice dicitur Brohambergh, nunc vero Brokenberg. Prædictus eremita B petiit a castellanis tugurium sibi fieri sub castello, et obtinuit; non enim ibi erat magna hominum frequentatio. Hic dum sibi necessaria deficerent, scholares sibi in disciplinatum adunavit, ut eorum liberalitate tenuitatem virtus emendaret. Brevi enim tempore scholares in exiguum conventum coaluere. Horum consortio et exemplo sanctus Aldhelmus ad plenum informatus, artem dialecticam adjectit erudire. Unde hinc fugiens ad pedes Adriani philosophi, abbatis sancti Augustini Cantuariensis, per aliquod tempus studuit, et sufficienter edocitus Meldunum repetiit. Qui postea, cum sociis suis, sub Maeldulfo monacho attonsus est, vivente Maeldulfo post tonsionem ejus annos quatuordecim. Castellum prænotatum tunc fuit sub dominio Eleutherii episcopi Wintoniensis, qui dominabatur in tota West-Saxonia. Mortuo Maeldulfo, prædictus episcopus dedit situm C Malmesburiae sancto Aldhelmo.

II.

*Charta qua Eleutherius monasterium Maeldulfi  
Aldhelmo donat.*

[Vid. Will. Malm. de Reg.]

Ego Leutherius (*sic*), gratia divina episcopus, pontificatus Saxonie gubernacula regens, rogatus sum ab abbatibus, qui sub jure parochiæ nostræ cœnobiali monachorum agmini pastorali sollicitudine præesse

A noscuntur, ut terram illam, cui inditum est vocabulum Maeldulfburh, Aldelmo presbytero ad degendam regulariter vitam conferre largiri que dignarer. In quo videlicet loco a primo ævo infantia atque ab ipso tirocinio rudimentorum liberalibus litterarum studiis eruditus, et in gremio sanctæ matris Ecclesiae nutritus, vitam duxit. Et ob hoc potissimum hanc petitionem fraterna charitas suggeste videtur. Quapropter prædictorum abbatum precibus annuens ipsum locum tam sibi quam successoribus suis normam sanctæ regulæ solerti devotione sequentibus, fraterna petitione coactus, ultroneus concedo. Actum publice juxta flumen Bladon, viii Kal. Septemb. Anno Incarnationis Domini 675.

III.

*Quomodo Eleutherius Wintoniensis episcopus Aldhelmo presbytero et Meldunensi cœnobio terram de Maeldumesberg contulit æterna largitione.*

[E chartulario cœnob. Malmes. in Bibl. Bodl., fol. 10 b.)

Solet plerumque contingere ut autumali torrido facessante caumate brumalia sæuentium ventorum flabra reciprocis alternatim cursibus succedant, quibus procellosa pelagi cœrulea enomesque Oceani gurgites hinc atque illinc quatuntur, quatenus navigio errante, nullus absque discriminibus navigans furibundo flamme carbasa rumpente transfretet; ita nimis prostrata mundi pompulenta gloria, jamque appropinquante ejusdem termino, fluctuantes sæculi turbines incumbere experimento evidenti videntur, ut revera et absque ullo ancipiti scrupulo illa Domini præsagmina nostris tandem temporibus comprobentur impleri, quibus ita cœlestia oracula effatus est: *Videte fulneam*, etc. Porro inter has turbulentas sæculi tempestates Scripturarum flectenda sunt gubernacula, totiusque navigii armatura atque instrumenta paranda, quatenus, garrulo Sircnarum carmine spreto, ratis recto cursu ad portum patriæ prospere perducatur. Quapropter ego Eleutherius, gratia Dei episcopus pontificatus Saxonici gubernacula regens, rogatus sum ab abbatibus qui sub jure parochiæ nostræ cœnobiali monachorum agmini præesse noscuntur pastorali sollicitudine, ut

ram illam, cui vocabulum est inditum Malu...  
rgo Aldhelmo presbytero ad degendam regulariter  
tam conferre largiri que dignarer; in quo videlicet  
eo a primo sevo infantiae atque ab ipso tirocinio  
udimentorum liberalibus litterarum studiis erudi-  
tus et in gremio sanctae matris Ecclesie nutritus,  
vitum duxit, et ob hoc potissimum hanc petitionem  
fraterna charitas suggestere videtur. Quapropter præ-  
dictorum abbatum precibus annuens, ipsum locum  
de quo supra mentionem fecimus, tam sibi quam suis  
successoribus, normam sanctæ regulæ solerti devo-  
tione sequentibus fraterna petitione coactus, ultro-  
neus impendo, quatenus in futuram posteritatem,  
remota omni disceptationum conflictu ingruentium,  
quiete continua, et pace perpetua, Deo famulari  
sine impedimento valeant. Sed, ne forte contentio-  
nis occasio deinceps emergat, hac rationis condi-  
tione interposita roborans confirmo, ut nullus succe-  
deritum demum episcoporum, seu regum, hanc no-  
stræ donationis chartulam tyrannica fretus pote-  
state, violenter invadat, asserens pertinaciter quod  
de jure potestatis episcopatus ablatum sequestra-  
tumque fuisse videretur; et idcirco sciendum est,  
et contra æmulos promulgandum, multo magis me  
conveniendum augmentumque pontificali Ecclesiae addi-  
disse, quam per vim abstraxisse. Postremo, ut firmi-  
ter præstatæ donationis largitio jugiter mansura sit,  
prædictos abbates propriis manibus subscribere jus-  
simus. Quod si quis hæc scripta et decreta nostræ  
definitionis irriti facere nitetur, sciat se ante tribu-  
nal Christi rationem redditurum. Actum publice  
juxta flumen Bladum vii Kalendas Septembres, anno  
Incarn. Christi 680.

+ Ego Eleutherius, ac si indignus episcopus,  
rogatus a fratribus, hanc donationis chartam sub-  
scripsi.

+ Ego Cunebertus abbas subscripsi.

+ Ego Hedde abbas subscripsi.

+ Ego Wynnebertus presbyter subscripsi.

+ Ego Hiddi presbyter subscripsi.

+ Ego Hedda subscripsi.

#### IV.

Quomodo Ethelredus rex contulit Aldhelmo abbati et  
Meldunensi cœnobio Newentune et Cherletoni juxta  
Tetteburi.

[Ibid., fol. 43. b.]

In nomine Domini nostri Jesu Christi Salvatoris.

Nihil intulimus, ut apostolicum testatur oraculum,  
in hunc mundum, nec auferre quidquid possumus.  
Idcirco terrenis ac caducis æterna et mansura mer-  
canda sunt. Quapropter ego Ethelredus rex Merciorum,  
rogatus a patricio meo et propinquo Coenfrido, pro-  
misse meæ, ac pro oratione fratrum in Mel-  
dunum, in triginta cassatos ab oc-  
cidente in alio

concessum  
regalis audacia, nec sa...  
cretum nostrum confringere tentaverit. Si quis  
hanc donationem augere et amplificare voluerit, au-  
geat Deus partem ejus in libro vita. Quod si quis,  
tyrannica potestate fretus, demere vel auferre sate-  
gerit, sciat se coram Christo novemque angelorum  
ordinibus rationem redditurum. Scripta est autem  
hæc chirographi chartula, anno ab incarnatione Christi  
681, indic. 9.

Signum manus Ethelredi regis Merciorum.

Signum manus Coenfridi comitis.

Ego Theodorus gratia Dei archiepiscopus confir-  
mavi.

+ Ego Saxwulfus episcopus suoscripsi.

+ Ego Bosel episcopus subscripsi.

#### V.

Quomodo idem rex dedit eidem Ecclesiae quindecim  
cassatos juxta Tetteburi.

[Ibid., fol. 14 b.]

In nomine, etc. usque ad in Meldunesburg Deo ser-  
vientium, quindecim cassatos prope Tettan monaste-  
rium, Aldhelmo abbatii libenter largitus sum. Si quis  
vero hanc donationem augere et amplificare voluerit,  
augeat Deus partem ejus in libro vita. Quod si quis  
tyrannica potestate fretus demere vel auferre sate-  
gerit, sciat se coram Christo, novemque angelorum or-  
dinibus, in tremendo examine rationem redditurum.  
C Scripta est autem hæc chirographi chartula anno ab  
incarnatione Domini 680, indic. 9.

Ego Theodorus gratia Dei archiepiscopus confir-  
mavi.

+ Ego Saxwulfus episcopus similiter.

+ Ego Bosel episcopus subscripsi.

+ Signum manus Ethelredi regis Merciorum.

+ Signum Coenfridi comitis.

De Kemela, quam Ceadwalla rex dedit eidem Ecclesiae.

[Ibid., fol. 15.]

Omnia quæ videntur temporalia sunt, et quæ non  
videtur æterna sunt. Idcirco visibilibus invisibilia, et  
caducis coelestia præferenda sunt; quamobrem ego  
Ceadwalla, regnante Domino rex, aliquod emolu-  
mentum Ecclesias impendere decrevi, id est, terram  
ex utraque parte silvæ quæ appellatur Kemela, cxxxii/  
cassatos. Et ita fixa et immobilia hæc donatio perse-  
veretur, ut nullus hoc decretum frangere aut irritare  
facere præsumat. Si quis vero, superba inflatus ty-  
rannide, hanc donationem violare aut prævaricari  
tentaverit; noverit se, in tremendo cunctorum ex-  
amine, coram judice vivorum et mortuorum ratio-  
rediturum. Scripta est vero hæc chartula indic-  
mense Aug., anno ab Inc. Dom. 682.

+ Signum manus Cadwallari regis.

+ Episcopus consensi.

## VII.

*Charta Berthwaldi de Sumersford quæ sita est juxta fluvium qui dicitur Tamesia, quam regali munificencia contulit Aldhelmo abbatii Melduniensis Ecclesiae et successoribus suis hæreditate perpetua.*

[E chartulario cœnobii Malma. in Bibl. Bodl. fol. 10, b.]

Ea quæ secundum timorem et amorem Domini religiosa largitionis devotione definiuntur, quamvis solus sermo sufficeret promulgare, tamen pro incerta futurorum temporum conditione scriptis publicis et documentorum gestis sunt confirmando. Quapropter ego Berthwaldus, regnante Domino rex, pro remedio animæ meæ et indulgentia commissorum criminum, aliquam terram conferre largiri que Aldhelmo abbat decrevi, id est, illam de orientali parte fluminis quod appellatur Temys, juxta vadum cujus vocabulum est Summerforde, xxxi cassatos, ea scilicet definitione, ut omni servitute sacerdotalium potestatum portio terræ illius perpetualiter sit libera, ad serviendum necessitatibus monachorum Deo serviendum in monasterio quod vocatur Malmesburge. Et ut Urmius ac tenacius hæc donatio mea roboretur, præcellentissimum monarchum Ethelredum ad testimonium ascivimus regem, cujus consensu et confirmatione hæc munificentia acta est. Si quis contra hanc donationem venire tentaverit, aut tyrannica fretus potestate invaserit, sciat se in tremendo cunctiorum examine coram Christo rationem redditurum. Actum publice in synodo juxta vadum Bregforde, mense Julio, 30 die mensis ejusdem; inductione 13, anno ab Incarnatione Domini 680.

- † Theodorus archiepiscopus.
- † Ethelredus rex Merciorum.
- † Berthwaldus subregulus.
- † Kensfrithus patricius.
- † Sexwulfus Lichfield, episcopus.
- † Bosel Wigorniæ episcopus.

## VIII.

*Charta de libertate, quam Ina rex contulit Aldhelmo præsuli, et Ecclesiæ sub ejusdem regimine constitutis.*

In nomine Domini Dei nostri Salvatoris. Ego Ina, regnante Domino rex, cum consilio et decreto præsulis nostri Aldhelmi, simulque cunctorum Dei sacerdotum suggestione, et monachorum petitione, qui in parochia Saxonum conversantur, hanc libertatem Ecclesiæ impendo, et hanc privilegii digoitatem D monasteriis consero, ut sine impedimento sacerdotalium

A rerum, et absque tributo fiscalium negotiorum, liberi mentibus Deo soli serviant, et monasticam cœnobii disciplinam, Christo suffragium largiente, regulariter exerceant, ac pro statu et prosperitate regni nostri, et indulgentia commissorum criminum, ante conspectum divinæ majestatis, preces fundere dignentur, et orationum officia frequentantes, in ecclesiis pro nostra fragilitate interpellare nitantur. Si quis vero contra hujus decreti syngrapham venire tentaverit, sciat se coram Christo nove inque Angelorum ordinibus, in tremendo examine rationem redditurum. Hoc vero decretum, a nobis libenter concessum, taliter confirmari et servari decernimus, ut tam nobis, vita comite, propria Divinitate, regni gubernacula regentibus, inextricabili lege firmiter roboretur. Nam pro ampliori firmatæ testamento, principes et senatores, judices et patricios subscribere fecimus, quorum nomina infra tenentur ascripta.

Actum publice et confirmatum in loco qui appellatur Eburleagh, septima Kalendarum Juniarum die, inductione secunda anno ab Incarnatione Christi 704, feliciter.

† Signum manus Inii regis, qui hæc omnia propria manu confirmavit.

† Ego Aldhelmus, servus servorum Dei, hoc propria decretum manu roboravi.

† Ego Ilagona abbas consentiens subscrpsi.

† Ego Heatha abbas consentiens subscrpsi.

† Ego Wedre abbas consentiens subscrpsi.

† Ego Wilgar abbas consentiens subscrpsi.

† Ego Froda abbas consentiens subscrpsi.

† Signum manus Beoban.

† Signum manus Ceonberth.

† Signum manus Ethelsfriði.

† Signum manus Dedece.

† Signum manus Bealdhūm.

† Edbertus abbas consentiens subscrpsi.

† Ego Wintra abbas consentiens subscrpsi.

† Ego Beorwald abbas.

† Ego Beawulf abbas consentiens subscrpsi.

† Ego Wilta abbas consentiens subscrpsi.

† Signum manus Camberth.

† Signum manus Coen.

† Signum manus Easwaldi.

† Signum manus Ticceau.